

IOANNES MELCHIOR HECKETZER A VVASSERSTELTZ.



Ioannes Melchior natus est ex nobili familia Hecketzerorum apud Heluetios in arce preclara Vuassersteltz, quæ ad Rhenum sita est, anno circa 1508. Is cum felici ingenio insignis esset, à pueris operam literis dedit, atq; primis fundamentis perceptis sese ad uarias Academias contulit. In ijs mediocrem artium & linguarum cognitionē adeptus est. Accedebat magna animi prudētia, atq; naturalis quædam facundia. Id cum Ferdinandus rex intellexisset, eū anno circiter 1535 inter suos cōsilarios recepit, atq; in Archiducali curia Ensisheim, cum alijs affessoribus res uarias expediendas comisit. Hunc etiam multoties legatum ad Heluetiorum comitia elegit, atq; suo nomine cuncta administrare iussit. Has quidē functiones Ioannes Melchior singulari industria absoluit, & suis uirtutibus omnibus gratus fuit. Quin etiam quādoq; militaria castra secutus, in prouincia pro Carolo Cæsare contra Franciscum Galliæ regem arma induit, & suę fortitudinis circa Auinionem multa docimēta dedit. Postea uero bello composite ad pacis studia rediit, & domi forisq; conspicuus fuit. Hoc modo is etiamnum pergit, atq; in arce Vuassersteltz habitādo, illustrissimiq; Archiducis Austriæ Ferdinandi res in Ensisheim cum alijs prudenter administrando, omnibus in notescit. Anon.